



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

§ 4. Abbas S. Maximini habet singularem Dignitatem in Imperio nimirum Archicapellani Romanorum Imperatricis officium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

cessorem: & circa Abbatem Vincentium Anno MDXIV. ab Archiepiscopo Richardo à Greiffenclau Anno MDXXVI. circa Abbatem Ioannem Cellis, Vincentij Successorē; ab Archiepiscopo Ioanne ab Isenburg Anno MDXXIX circa seipsum tanquam Abbatem Commendatarium. Idem confirmatur ex formula Iuramenti Abbatis in susceptione Regalium fieri solita, & ab ipso Isenburgico seruata, qua manifestè Abbas fidelitatem iurat Imperatori & Imperio, vt videre est Num. 52. & N. 57.

Ex quo sanè sequitur euidenter Abbatem S. Maximini in Iurisdictione regalibusque esse Vassallum Imperij, & cum præterea votum & sessionem habeat in Conuentibus, eum esse Statum & membrum Imperij. Vbi notandum est quod in inuestitura instrumentis vocatur *INSIGNE* membrum, quo non vulgaris aut simplicis, sed præcellentis membri qualitas indicatur. Quod & alijs sublequentibus immediati Status notis particularius elucescet, his scilicet.

S. 4. *Abbas S. Maximini habet singularem Dignitatem in Imperio nimirum Archicapellani Romanorum Imperatricis officium.*

**H**Oc enim verò solum sufficere arbitror, cur Monasterium censeatur & sit *INSIGNE* S. Rom. Imperij membrum, quòd in Imperatoria Aula illustri officio Palatino eius Abbas sit insignitus.

Eiusmodi enim officia non nisi immediatis, & illis quidem eminentibus statibus annexa sunt. Ita videmus Archiepiscopos, Electores esse Imperij Archicancellarios, Regem Bohemiæ Archipincernam, Ducem Bauariæ Archidapiferum, alios inferiores Principes & Status inferiora officia exequi, & non modò Imperatori sed & Imperatrici Romanorum suos esse officarios Palatinos, cuius Archicancellarium esse Abbatem Fuldensem constat.

Equidem eos Principes & Status, qui eiusmodi officia in Imperio Imperatorisque aula obeunt singulatibus prærogatiuis, priuilegijs ac immunitatibus gaudere, etiam antiquæ Imperatorum Leges multipliciter sanciant, vt videre est in Codice Iustiniano Tit. de Palatinis factarum largitionum. Item de priuilegijs eorum, qui in sacro Palatio militant: Immunitate enim digni sunt, quos Imperatorij lateris comitatus illustrat. L. vnic. C. de præpositis laborum.

Iam verò Abbatem S. Maximini esse Imperatricis Archicapellanum, idque à septingentis propemodum Annis & ad Reginam ac Imperatricem confirmandam & benedicendam perpetua lege constitutum.

In Imperio quidem receptum & notum esse constat ex Frehero in notis ad Petrum de Andlo l. 2. c. 7. Vischero in disc. de Elect. concl. 39. n. 222. Antonio de Yepes in Chron. S. Benedicti T. 2. Cent. 2. c. 2. alijsque scriptoribus, sed ex documentis & diplomatis à nobis exhibitis firmiter probatur.

Nam sic habet Ottonis Magni Rescriptum, *Decernimus atque iubemus, vt presatus Abbas S. Maximini Willeherus, omnesque sui Successores prædicta coniugi nostræ Adelheide scilicet, imperatrici, alijsque post illam Reginis & Imperatricibus ad Capellam, ad mensam in Curia seruiant &c.* Et deinde, *Quotiescunque ad Regalem Curiam venerint, de Regia mensa pascantur, & inter Curiales ac domesticos Regis & Regina, qui Regio cibo vescuntur non insimi semper habeantur, prout decet illum sacratissimum locum & prouisores & ministros illius Ecclesie, perquam cuncti Reges & Imperatores per vicissitudines temporum, cum suis Contugibus in*

*Regnum & Imperium confirmabuntur.* Vide Num. 10. Similia habet Henricus III. siue Niger in Rescripto Moguntinensi Anno MXLIV. sub N. 22. Similia quoque habet Imperator Henricus IV. siue SENIOR in Rescripto Triburiensi Anno MLXVI. sub Num. 27.

Ab illis ergo temporibus Abbas S. Maximini de familia Imperatoria fuit, & semper ipsi Veleius Agenti, quoties aderant, locus Curialis fuit servatus, Reginaeque & Imperatrices Prælati benedixerunt, & in Regnum & Imperium confirmarunt, ut videre licet in litteris prædictis circa S. Adelheidem Ottonis M. Coniugem, Agnetem Henrici Nigri, Bertam Henrici SENIORIS. Vnde & Imperator Ferdinandus II. gloriosissimæ memoriæ eam S. R. J. dignitatem Abbatibus S. Maximini confirmavit per Rescriptum de Anno MDC. XXVI. quod vide sub Num. 86.

Ea etiam causa à Regibus donata sunt Palatina templa Abbatibus Maximinianis, ut Abbati Willihero Francofurtense S. Saluatoris fundatum à Ludowico Germ. Rege, Lotharij Imp. fratre, prout liquet ex Francofurtensibus litteris Ludouici Regis Germ: & Lotharij prioris Ludouici Filii ad Abbatem Williharium de Anno DCCCLXXX. quæ hodieque extant. Item Theoniswillanum à Ludouico Pio Imp. ædificatum, datum Ogoni Abbati ab Henrico A. C. V. P. E., prout ex litteris Ottonis M. Moguntinis de Anno DCCCCXL. sub N. 7. & alijs eiusdem Ottonis Colonienfis de Anno DCCCLXVI. quæ hodieque extant.

Delata est autem benedictionis nuptialis & consecrationis dignitas Prælati Maximiniani, vel ea causa potissimum.

I. Quod S. Maximinum semper insignem Imperij & Regni Protectorem qualem in viuis, talem etiam defunctum in Cælis Imperatores & Reges experti essent, vnde & Ludouicus PIVS Imp. vocat S. Maximinum *Sanctissimum Confessorem Christi, protectorem nostrum*, cui fortissimi & fortunatissimi quique Reges & Imperatores maximè semper studuerint, quemque in beneficium & auxiliorum recognitionem muneribus, donis, priuilegijs amplissimè ornarint: scilicet Dagobertus, Pipinus, Carolus M. Henricus I. Otto M. S. Henricus, Rudolphus I. Maximilianus I. Carolus V.

II. Quod S. Maximinum Augustæ Generationi Prolique Regiæ vel maximè benignum & propitium crederent. Sic enim in citato Diplomate loquitur Henricus III. *Vt per hanc prædictam Abbatiam omnes Reges & Imperatores cum Coniugibus suis propagandæ sobolis incrementum, & Regiæ potestatis ac dignitatis semper percipiant testamentum.* Et Henricus IV. *Vt per præfatam Abbatiam S. Maximini omnes Reges & Imperatores ac Coniuges illorum Regiæ dignitatis ac propagandæ sobolis accipiant fundamentum.* Quod bene cum intelligeret Fridericus IV. Austriacus Imperator, placuit illi de nuptijs inter filium Maximilianum, quem in spem Imperij & Austriacæ Magnitudinis genuerat, & inter Mariam Burgundicam, quam Orienti Occidentique olim consociando Belgium tulerat, tractare cum Carolo AVDACE in Monasterio Maximiniano, fortunatosque Sancti Maximini genios coniugio Austriaco-Burgundico conciliare, quippe sapientissimus Princeps, more veterum & Maiorum conceperat illius Ecclesiæ Auspicio spem certam magni illius Augustorum incrementi, quod læti nunc miramur, & propagandæ Imperatoriæ & Regiæ sobolis, *quæ nunc regit orbis frena rotundi.* Cui ut DEVS Opt. Max. S. Maximini interuentu æternum consuetas benedictiones perennet, vna voce supplicamus.

Huic verò titulo consequens est & annexum, quod summi Principes & Im-

peratores huius Abbatia fructus & seruitia S. Rom. Imperii Regibus, & Imperatoribus debita, Imperatricibus olim veluti dotem quandam assignarunt. Ita ante annos septingentos Romano Pontifice Maximo Ioanne XIII. approbante, statuit ac decreuit Otto Magnus in Diplomate supra citato his verbis, *Abbas omnesque sui Successores seruitium, quod in secundo semper anno de eadem Abbatia dictante iustitia daturi sunt sibi* (id est, Imperatricibus) *exhibeant.*

Per hanc igitur Abbatiam se dotasse Imperatricem Otto Magnus proficitur, eamque proinde à dote Regni verat vlla ratione auelli, aut alteri personæ subici. Idem de Regni dote statuerunt & approbarunt Henricus III. qui & Niger dictus est, in Diplomate sub Numero 22. & Henricus IV. siue Senior sub Numero 27.

Ex quibus colliges Dotis nomen multis sæculis ante Ottonis Mæuum & ab ipso, quin etiam exordio & prima Monasterii origine ipsi adhæsisse. quo nimirum à magnis Principibus indicabatur Monasterii illius statum ita Imperio inuinculatum & annexum, vt nulla potestate ab illo dielli & alienari posset, quemadmodum de fundis & rebus dotalibus lege cautum est.

*S. 5. Abbas S. Maximini habet supremam sub Imperatore Iurisdictionem.*

**I**URISDICTIONIS illius supremæ actus hosce exercuerunt & exercent Abbates.

Primus, quod in suo Territorio & Statu ad Maximinianos Ciues & incolas certas constitutiones & leges pro bona politia fanciuerint: cuiusmodi sunt leges quæ concernunt homicidas, mutilatores & occultatores rerum alienarum &c. conditæ ab Abbate Thoma, & publicatæ per Monasterii officiorum supremum Præfectum Joannem Plait de Longuich Anno MDVI. Item quæ concernunt hospitia & hospites &c. latæ ab Abbate Joanne de Cellis Anno MDXLVII. Item Statuta Judicialia (vulgò vocant *Undergerichts Ordnung*) concernentia ordinem Iudicandi, & Juris dicendi, condita & promulgata ab Abbate Ioanne de Cellis Anno MDXLV. quæ etiam Ioannes ab Isenburg, vti Abbas Commendatarius confirmauit & obseruari fecit Anno MDL.

Secundus, quod Abbas supremam habeat Judicaturam, per quam non modo in Criminalibus, sed etiam in causis ciuilibus vltimò iudicat, ita vt ab eius sententia aliò appellari non possit; nisi cum materiæ & quæstionis grauitas meretur, vt ad Cæsarem vel eius Imperialem Cameram causa deuoluatur, quod illi cum summis Imperij Statibus est commune. Habet porro plurimas in sua ditione curias Abbas subalternas & infimas, à quibus ad Tribunal ipsius, quod ipse constituit ex quatuordecim Iudicibus siue Scabinis, appellatur. Ab hoc verò non datur vltior causæ deuolutio, nisi ad Cameram Abbatis vel Cæsaream Spirensis: Iudicat igitur Abbas vltimo ressorto, siue per arrestum vt loquuntur in multis causis, prout status immediati & eminentes in Imperio solent. Et hoc nimirum est, quod Imperatores olim Diplomatis suis & Priuilegijs stabiliuerunt, dum vetuerunt ne quisquam in ditione Abbatis placitum habere, id est, Ius dicere, præsumeret, vt videre est passim in Diplomatis exhibitis, præcipuè Caroli Magni sub Numero quarto, Ludouici Pij Numero quinto, Lotharij Numero 6. Ottonis II. sub Numero 16. & Ottonis